

AUCTARIUM.

CONCIO I.

PECCATA CUR PERMITTAT DEUS.

I. Permittit ob bonum ipsorum peccantium. — II. Ad bonum aliorum non peccantium. — III. Ad bonum universi. — IV. Ad majorem Dei gloriam.

THEMA.

Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Matth. XIII.

Justa et æqua consideratione magna est hæc servorum interrogatio: *Unde ergo ager habet zizania? Unde in mundo peccata? Tametsi vero audimus respondentem patremfamilias: Inimicus homo hoc fecit, nondum tamen videtur omnino satisfactum propositæ quæstioni. Possunt enim (ut observat S. Petrus Chrysologus episcopus Ravennatis, serm. II. in hod. evangelium) servi dicere patrifamilias: Et tu quare hoc, cum videres, Domine permisisti? Id profecto objecit Deo Habacuc propheta, quasi amice expostulans cum dixit, cap. I. Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorum se. Et facies homines quasi pisces maris (quorum unus alterum devorat, major minorem, fortior debiliorem) et quasi reptile non habens principem? Verum huic objectioni occurrit Petr. Chrysologus, loc. cit. mox subjungens: Quare inquit, hoc nimirum permittit celestis paterfamilias? Quia timere fraudes non potest cui nihil potest deperire, et quia plus est mystica discernere, quam prohibere mysterium; majus est reparare perditam, quam illæsa reservare, simul quia oportet zizania esse, qui probati sunt, manifesti fiunt. Magnæ et profundæ sunt hæ rationes, quas hic una cum pluribus aliis paulo exactius exponemus.*

I. Permittit peccata ob bonum ipsorum peccantium, et primo, ut cognoscant seipsos, suamque fragilitatem, vilitatem, inopiam, cæcitatem et miseriam. Accidit quandoque ut lapsus corporalis cadenti sit salutaris, cujusmodi exemplum legimus in vita S. Athanasii episcopi Neapolitani, cujus corpus ab obitu delatum est ad montem Cassinum. Erat in eo collegio S. Benedictus homo cæcus, bonus alioqui, qui frequens in templo esse consueverat; is dum more suo templum oraturus esset ingressus, ut cæcis evenire solet, seu Deo sic volente, offendit, lapsus incur-

rit in S. Athanasii sepulcrum, cadensque illud attigit; quo tacto acerrimum oculorum visum e vestigio assecutus, amplius eo non caruit. Quod cæco huic in corpore evenit, plurimis aliis contingit in mente. Cæci plane erant primi nostri parentes, qui contra Dei præceptum, et mortis comminationem crediderunt potius serpenti, se non morituros. Itaque lapsi in peccatum sunt, et illico post lapsum aperti sunt oculi amborum. Viderunt enim se jam nudos, et concupiscentiæ motu fædos, viderunt se deceptos, Deum fuisse veracem, serpentem vero mendacem: viderunt se incurrisse remorsum conscientiæ, et reatum pænæ subeundæ, dejectos se ex beato in felicem statum: cognoverunt quam amarum sit Deum offendisse tantum benefactorem, quamque bonum sit Deo credere et adhærere. Quæ omnia ante lapsum minime cognoverunt, indeque pœnitentes e delicto educti sunt, Sap. X. vers. II. Eandem ob causam superbi maxime et præsumptuosi permittuntur labi in peccatum, ut ad discant humilitatem. Ita docet S. Augustinus, lib. XIV. de civit. cap. XIII. «Audeo dicere, inquit, superbis esse utile, cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum: unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit. Hoc dicit et sacer Psalmus: Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine, id est, ut tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerant quærendo suum.» Enascuntur in venis cervorum vermes, qui eos maxime cruciant, et cervi pro medicina serpentes sorbent; a quibus perimuntur quidem vermes prædicti; interim tamen cervi malum majus et periculum mortis incurrunt, cui medentur recurrentes ad fontem. Refert Mizaldus, cent. I. n. VII. Vermes illi sunt cogitationes præsumptuosæ, cæcitas, fidei tepiditas, animi levitas, curiositas, concupiscentiæ malæ et similes corruptæ naturæ affectiones, quibus ut occurratur, permittat Deus, ut qui talibus scatent vermibus devorent serpentes, h. e. ut incidant in gravia aliqua peccata, indeque crucientur remorsu conscientiæ, patiantur confusionem, agnoscant gehennæ reatum, quem incurrerunt, sicque ad fontem misericordiæ recurrant ex integro sanandi.

Secundo, ut cadendo in levius aliquod peccatum, sanent alius gravius. Collegit hoc S. Thomas, in II. Cor. XII. ex illo carnis stimulo et angelo satanæ colaphizante apostolum; quo repelleretur superbia, et conservaretur ejus humilitas; probatque exemplo medicorum, qui febrem excitant, ut stupori medeantur. «Sic etiam Christus Dominus, inquit, veluti medicus animarum summus, ad curandum graves animæ morbos, permittit electos suos in morbis corporum graviter affligi. Et quod plus est, ad curandum majora crimina permittit incidere in minora, etiam mortalia.» Assentitur huic ad amussim D. Damascenus, l. II. orthod. fidei, cap. XXIX. «Sinitur denique aliquis, inquit, in fædum etiam atque obscenum facinus interdum prorueri, ut hæc ratione gravius aliquod vitium depellatur. Exempli causa: Sit aliquis cui virtutes suæ ad recte facta animos atque attollant: sinit hunc Deus in stuprum incidere, ut per hujusmodi lapsum imbecillitatem suam agnoscens, cristas demittat, atque ad Dominum accedens, culpam suam confiteatur.» Facit eo illud Job XII. § XVIII. *Balteum regum dissolvit et præcinxit fune renes eorum.* In quem locum S. Greg. «Balteum, ait, regum dissolvit, quando in his, qui bene regere sua membra videbantur propter elationis culpam castitatis cingulum, hoc est, permisit ut caderent in luxuriam, ne extollerentur in superbiam.»

Tertio, ut ex lapsu surgant humiliores, et cauciores, atque ad bona opera promptiores atque alacriores. Patet in S. Petro, qui post negatum Christum, fortior in ejus confessione et amore factus est, quemadmodum et Magdalena eo plus post suum lapsum dilexit Christum, quo plus ei dimissum erat; id quod in parabola duorum debitorum ostendit Christus, Luc. VII. cum scilicet plus diligere, cui plus remissum est, unde plane sequitur lapsus graves sæpe cedere in majus bonum labentium.

II. Ad bonum aliorum non peccantium: primo, ut visis aliorum lapsibus ipsi cautius incedant, et firmiter Deo adhæreant. *Sic enim natura comparatum est, ait Damascenus, loco supra cit. ut cum aliquos male mulctatos cernimus, animum contrahamus ac demittamus.* Quod Hebræi viderunt Core, Dathan et Abiron cum suis adherentibus dehiscente et absorberi a terra, omnes quotquot per gyrum adstabant, fugerunt ad clamorem pereuntes, dicentes: *Ne forte et nos terra deglutiat,* Numer. XVI. Pari ratione cum audimus et videmus alios, præsertim magnæ dignitatis aut virtutis homines, in gravia aliqua scelera lapsos esse, perterremur et formidamus, nobisque at-

tendimus, a similibus peccatis refugimus, et ad Dei opem implorandam inardescimus? Ne et nos similiter cadamus. Casus Luciferi ortus ex superbia confirmavit et perfecit in humilitate, angelos imprimis bonos, postea etiam homines. De angelis testem habemus Jobum, c. XLI. ubi de Lucifero sub nomine Leviathan ait: *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli et territi turbabuntur.* In quem locum S. Gregor. lib. XXXIV. moral. cap. VII. *Hujus lapsus, inquit, eos terruit, ne conditorem superbe despicerent: et Anselmus, in elucidario: Cum mali angeli ceciderunt, boni firmiter steterunt.* Lapsus Davidis ex impuro aspectu causatus multos permovit, ut pangerent fædus cum oculis suis, et ne cogitarent quidem de virgine, adeoque evaderent quidem angeli continentia et castitate. Lapsus Lothi, Holofernis, Alexandri M. et aliorum in ebrietatem, non paucis persuasit, ut nunquam biberent vinum nisi dilutum, quemadmodum fecit Alphonsus Arragonum rex; quia causam illam afferebat: *Ne me inebriet: scio namque quantum Macedonis Alexandri gloriæ obfuerit ebrietas,* Panormit. de ejus gestis, lib. II. Ergo lapsus aliquorum et pœna eum consequens utilis est aliis, docens eos cavere sibi. Unde Augustinus contra advers. legis et prophet. capit. XIV. ait: *Hoc Deus voluit, quod homo non erat servaturus, jubere: quia pœna contemptoris docuit alios obedire.*

Secundo, ut per nequitiam reproborum magis exerceantur, a minutis peccatis expurgentur, et fortius propellantur ad cœlestia. Unde S. Gregorius, l. XXVI. cap. IX. ait: «Reproborum nequitia triturat modo electorum vitam quasi grana a palis separans premit et purgat. Mali vero bonos magis ab hujus mundi desideriis expediunt, dum affligunt, quia dum multa eis hic violenta incurunt, festinare illos ad superna compellunt. Quod bene de Israelitico populo vocante Moyse, et Pharaone rege sæviante, signatum est. Tum namque Moyses ad vocandum missus est, cum jam Pharaon duris operibus ad opprimendum fuerat excitatus; ut Israelitarum mentes Ægypto deformiter inhærentes, alius dum vocaret, quasi traheret; alius quasi impelleret, et plebs in servitio turpiter fixa et provocata bonis vel malis impulsus moveretur.» In hunc sensum Sanctus Ignatius M. in epist. ad Roman. scribit de impiis satellitibus, a quibus custodiebatur, et dure habebatur: *Iniquitas eorum mea doctrina est.* Pii enim ab impiis vexati, quasi per antiperistasim colligunt omnes vires suas ad resistendum impietati eorum, adeoque ad vincendum, uti patet ex actis et responsis martyrum: quo magis laniabantur corpore, eo magis corroborati mente insultabant tyrannis.

Tertio, ut eorum virtus magis enitescat, comparatione eorum, qui in peccatum labuntur, cum si et ipsi voluissent, potuissent non labi. Hinc enim Eccles. c. XXXI. laudatur dives, qui non peccavit, cum plurimas haberet peccandi occasiones et illecebras: *Beatus, inquit, dives, qui inventus est sine macula; et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris: quis est hic? Et laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo (auro) et perfectus est, erit illi gloria æterna.* Gloriam hanc quomodo sibi parasset, nisi divitiis abuti et peccare potuisset? Unde sequitur: *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, etc.* h. e. ideo stabilem a Deo, et Ecclesia tam militante quam triumphante laudem obtinebit. « Quid enim mirabilius, inquit Hugo ibi, quam inter epulas esurire, inter vestes algere, paupertate premi inter divitias, quas ostendit mundus, quas offert malignus, quas desiderat noster appetitus? Mirabile est ignem tangere et non uri? Spinās colligere, et non pungi, lapides portare, et non lædi. Et divitiarum ignis sunt, et spinarum, et lapides. » Si peccare non permetteret Deus homines, peccare utique non possent; at excellentius quid est et plus laudis meretur, non velle peccare cum possis, quam non peccare cum non possis; illud enim virtutis, hoc necessitatis est. Nihil habet laudis, qui generosum equum agitat, alligatus ad ephippium, ita ut excidere nequeat. Par ratio foret, si peccare non possemus in liberis actionibus. Tolleretur itaque bonis occasio laudis, et coronarum materia excuteretur, si triumphare de peccato non possent. « Sed non omnes (objicit S. Chrysost. orat. de provid. tom. V. in persona illorum, qui de potestate dæmoni ad nos tentandum concessa querunt,) erunt illo superiores. » Et respondet: « Generosos tamen est multo justius occasiones habere, in quibus institutum probent; ac eos, qui tales non sunt, puniri de propria sortordia, quam propter hos, illos affici damno. » Malus enim etsi patitur injuriam, non tamen ab adversario, sed a sua segnitie, quod multitudo vincuntium declarat. Verum tunc essent læsi a malis boni, si non haberent, ubi fortitudinem exercerent.

III. Ad bonum universi; primo, quia sic universum est perfectius si detur atiam creatura, quæ possit peccare et non peccare: esto melior sit illa, quæ non potest et omnino non vult peccare. Non enim quia aliqua creatura excellentior est, non debet poni in universo alia minus excellens: *Quis enim hos audiret, inquit D. Aug. l. II. de Gen. ad lit. si dicerent, quoniam excellentior*

sensus est videndi quam audiendi, quatuor oculi essent, et aures non essent? Accedit S. Thom. I. part. quæst. XXII. art. II. ad II. « Cum Deus, inquit, sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet, ut permittat quosdam defectus esse, in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo non esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum. » Unde dicit Augustin. in enchirid. c. XI. « Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut beneficeret etiam de malo. » Certe si peccatum Judæorum, Christum ad necem condemnantium non fuisset, unde haberemus opus redemptionis nostræ? Si peccatum Adæ non fuisset, unde haberemus opus incarnationis Christi? Et si hæc defuisset, defuisset et Deipara, et abundantiora gratiæ dona, per Christum nobis collata, ut ubi abundavit delictum, superabundaret gratia. Hinc illa S. Gregorii, et post illum Ecclesiæ exclamatio: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.*

Secundo, quia ex oppositis malorum hominum peccatis, magis innotescunt mundo virtutes bonorum. Hinc S. Anselmus, in elucidario, col. IV. de malis angelis ita loquitur: « Cum Deus præsciret eos tales futuros, quare creavit eos? Propter ornatum sui operis. Ut enim pictor nigrum colorem substernit, ut albus vel rubens pretiosior sit, sic collatione malorum justi clariores fiunt. » Hinc, Eccles. XXXIII. dicitur: *Contra malum bonum est, et contra mortem vita; sic et contra virum justum peccator.* Dum ergo ex oppositione vitiosorum magis splendescunt homines virtuosos, hinc alii tanto magis incitantur ad amorem virtutis, et odium peccati; sic magis ornantur mundus et glorificatur Deus.

IV. Ad majorem Dei gloriam et ostensionem attributorum ac perfectionum illius. « Quemadmodum enim vitreum speculum, ait P. Didacus Ruitz, in I. parte D. Thom. tract. de providentia Dei, stanno terminatum et opacatum perfectus est in ratione speculi, quam foret argenteum vel aureum speculum, etiamsi pretiosis lapidibus ornatum; idque non obstante viliori pretio vitri et stanni: sic etiam universum, quoniam essentialiter atque potissimum est destinatum, ut sit speculum divinarum perfectionum, tanto perfectius est, quanto melius earum similitudines reddit humanis mentibus. At multo melius eas reddit, quatenus umbra peccatorum terminat et opacat creaturarum virtutes capaces luminis et

splendoris. Imprimis enim occasione peccatorum, Deus melius ostendit supremum dominium suorum donorum, debilitatem humanarum virium, gratiam summopere gratuitam, eximiam misericordiam, patientiam, longanimitatem, clementiam, amorem virtutis, odium peccati, etc. » Speciatim vero ostenditur hac promissione Dei imprimis summa majestas, quæ vel uno peccato offensa reum facit hominem æternæ damnationis. Regum Persiæ tanta erat majestas, ut qui feram ante regem telo petisset, reus mortis fieret; quasi gloriam illam regi præripisset, auctor. Xenoph. in Cyrop. l. II. et Plutarch. in Artax. At qui Deo gloriam vel uno peccato præripit, mortis æternæ reus fit. Quanta hæc majestas Dei esse debet?

Secundo, deinde ostenditur bonitas et justitia Dei. Bonitas, dum tam grandes offensas clementer remittit, misericorditer condonat: justitiam, dum ab ipso sponte recedentes pro meritis puniunt. Non quidem creavit homines Deus ad puniendos illos, sed salvandos omnes: ubi tamen nostra ipsorum culpa a naturali nostra perfectione deflectimus, et ultro relinquimus bonum, tunc ipse ut æquus judex infligit pœnam: quomodo pater filium non gignit, ut hæreditate spoliaret, sed ut potius ditet, at si contumacem viderit, juste exheredabit. Sic leges sanciantur a magistratu, ut cives earum observatione boni evadant: at si qui eas transgrediantur, incidunt in pœnas. Sic agricola plantat arbores, ut fructum afferant quæ tamen si sterilecant, merito excinduntur.

Tertio, ostenditur Dei potentia, qui quoscumque et quantoscumque prævaricatores potenter pleterenovit, Pharaonem, Antiochum, Herodem aliosque, ipse vero a nemine quantumvis malitioso, blasphemio, virulento inimico nihil damni accipere, nihil pati potest, quantumcumque peccent: *Sagittæ enim parvulorum factæ sunt plagæ eorum, Ps. LXIII. Solem Æthiopes aliqui tam orientem quam occidentem quod vehementius eos urat, diris imprecationibus prosequuntur, ut scribit Plinius, lib. V. cap. VIII. Persæ e contra, ut Strabo, lib. XV. testatur, solem tamquam Deum coluerunt, illique equos mactarunt: neque tamen vel propter istos sollucentior, vel propter illos obscurior, frigidior aut languidior factus est. Pari modo sicut Deo nihil addimus, ipsum colendo et glorificando:*

ita nihil officere possunt, eum offendendo et blasphemando peccatores.

Quarto, ostenditur Dei sapientia plenius et perfectius, quia ex peccatis etiam, tametsi malis pessimis, novit elicere bona. Unde S. Augustinus, in enchiridio, cap. XXVII. ait: *Melius judicavit Deus ex malis bona facere, quam mala nulla esse permittere.* Quemadmodum enim ex veneno serpentis arte medicorum fit theriaca, antidotum veneni; ita ex peccatis elicit Deus antidotum peccati; veluti ex peccato Adami, elicit occasionem patranda opus incarnationis, quo peccatum id extingueretur; ex odio Judæorum et prodicione Judæ redemptionem generis humani per passionem suam, etc. Quin et hoc effecit ut ex ipsis peccatis nostris, si de iis conteramur et confiteamur, conficere nobis electuarium possimus, quo peccata deleamus. Hujusmodi electuarium paravit sibi Magdalena, ex illis ipsis instrumentis, quibus mundo prius servierat, ut ostendit B. Petrus Damiani, in serm. de ipsa. « Sane, ait, pretiosum unguentum, quo non solum terrena domus, sed etiam celestis aspergitur. Vilissimæ autem sunt species, de quibus conficitur, et magna eorum copia intra nostros hortulos poterit inveniri. Peccata igitur nostra plantata in conscientiis nostris, quorum numerositas præ multitudine numerari non potest, species ejus sunt. Ipsa igitur in mortariolo pœnitentiæ macerationis pistillo contusa, et respersa discretionis oleo, doloris igne supposito, et in aheni disciplinæ concocta, unguentum exhibent pretiosum, et acceptum pedibus Salvatoris. Compendiose autem illud confecimus sapienti rerum occasionem penitus relinquentes. Et licet materia videatur indignior, interim tamen bonum est unguentum istud, quod domum replet, penetrat cœlos, angelos lætificat, et beatæ civitati lætitiarum refundit et gaudium. Hoc est sacrificium justitiæ, quia sacrificium Dei spiritus contribulatus. »

Ergo sicut aqua alioquin hominem mergere, et suffocare solita, fit eam verberanti et brachia agitanti vehiculum: sic etiam peccata, quæ alioquin hominem mergunt in interitum, si pœnitentiæ pugnis cædantur, si confusione confessionis puniantur, si odio habeantur, et quæ delectabilia erant, execrabilia fiunt; tum ad cœlum hominem tollunt, quæ alias ad infernum usque depressissent.

CONCIO II.

CUR IMPIOS DEUS TOLERET ET PROSPERARI SINAT.

I. Tolerat, quia et ipsi creaturæ ejus sunt. — II. Quia converti possunt. — III. Quia sæpe prosunt bonis. — IV. Quia demonstrant Dei bonitatem et justitiam. — V. Quia aliquam saltem in terris mercedem merentur.

THEMA.

Sinite utraque crescere usque ad messem.
Matth. XIII.

Magna et mira est hæc Domini sententia: *Sinite utraque crescere, zizania scilicet et triticum.* De tritico nil mirum, de zizaniis vero mirati sunt non solum ethnici sed etiam Judæi. Ex illis sapientissimus Cato dixit: « In rebus divinis multum esse obscuritatis, eo quod Pompeio præter fas res suas promoventi omnia prospere, justam vero reip. causam tuenti, sinistre omnia evenirent. » Ex his vero Jeremias propheta, c. XII. sic ad Deum loquitur: *Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus, qui prævaricantur, et inique agunt? Plantasti eos, et radicem miserunt: proficiunt et faciunt fructum.* At vero hic rem intelligens, mysterium hoc aperit, dum mox addit: *Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis, h. e. occide eos quasi victimas, et immola tuæ justitiæ, ut ex illorum punitione ad extremum lauderis et sanctificeris.* Errant igitur imprimis Turcæ, qui ex armorum suorum robore et victoriis, regnoque dilatato Deum sibi addictum fingunt. Errant hæretici, qui ex eo, quod pace et opibus a Deo cumulentur, inde se veram habere fidem conjectant. Errant reprobi Christiani, qui Dei servos, pauperes et humiles Deo curæ non esse existimant, quod male hic habeantur. Non est Dei simul legislatoris, regimen, quale est politicum, ut in præsentī vita, omnia scelera puniat, et virtutes remuneret; ad futuram istud differt. Cur ergo hic in agro Ecclesiæ suæ toleret ad tempus reprobos seu zizania, nunc investigare conamur.

I. Tolerat hæc zizania, quia et ipsa creaturæ ejus sunt; quas non ut mox perderet, sed ut stabiliter, quantum paterentur creavit. Qui domum sibi struxit, non statim ea destruit, quando ruinam minatur, vel ex parte aliqua labefactatur, sed solidare eam conatur fulcris, pilis, substructionibus, ut stet quousque saltem potest, quia structura ipsius est. Quid mirum, si hoc idem Deus cum impiis hominibus agat, quos ipse creavit, et quidem in habitaculum suum, quantum in ipso est. Pulchre hoc ostendit Deus Jonæ prophetæ, qui juxta vaticinium suum ex-

pectabat in horas singulas subversionem Ninive, perversæ civitatis. Excitavit enim ipsi dum in sole æstuaret tuguriolum ex cucurbita in umbraculum, idemque die sequenti vermiculi ministerio iterum destruxit. Male id habuit Jonam, et bilem ipsi movit, cum destitutus umbraculo suo rursus æstare cœpit. Ibi vox Dei ad ipsum: *Putasne bene irascere tu super hedera? Affirmante illo rursus Deus: Tu doles super hedera, in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret, quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte perit: et ego non parcam Ninive civitati magnæ? q. d. vis tu, ut mox perdam tantum populum, quem ego creavi, et non prius varia media tentem ad ipsum mihi servandum, quia tam vile et fragile tuguriolum tuum, quod tu non struxisti, tibi everti doles? Egregie S. Ephrem, serm. de Jona hoc exaggerat: « Cucurbita, (inquit) tibi nunc loco magistri efficitur, ex qua sapientiam et prudentiam addisce, ac quanta sit vis divinæ clementiæ. Tu parcis cucurbitæ, et ego civitati Tugurium tuum sit speculum civitatis. Tugurium abjectum quæris, et urbem funditus evertis? Ubi rectum judicium tuum, o Jona! Cucurbitam, civitate potior rem ducis? Super vili cucurbita commiserationis effectum ostendis, et in civitatem durissimum ac severissimum te exhibes. »*

II. Quia fieri potest, inquit divus Augustinus, sermone XLVI. de diversis, *ut qui hodie zizania, cras sint frumentum.* Et S. Petrus Chrysologus, sermone XCVII. « Si zizaniis non subveniret Dei potentia, nec Matthæum de publicano evangelistam, nec Paulum de persecutore apostolum Ecclesia possideret. » Quæ corruptiora zizania facile invenimus, quam erant Ninivite sub rege Sardanapalo (quod ex chronologia deducit pater Cornelius, præfat. in Jonam) corruptissimo et effeminatissimo; quos proinde justissimus Deus simul omnes perdere cogitarat? At hi tamen ad prædicationem Jonæ. « Resipiscentes, inquit Sanctus Ephrem, sermones de Jona, adorabant eum, ac munera cum decimis suis offerebant. Aperuit rex thesauros et obtulit illi dona valde honorifica; uno omnium ore celebratus est Jonas, ingressusque in curru regio consedit. » Deinde, addit regem misisse viros, qui Jonam in Jerusalem honorifice reducerent, et per hospitium commode tractarent. Cives vero una cum rege induti sunt saccis, et jejunaverunt a majore usque ad minorem, et clamaverunt ad Dominum. Quid magis admirandum, quam agrum Niniviticum tot zizaniis repletum adeo repente in bonum triticum fuisse commutatam? Non minorem admirationem habet, quod in vita Sancti Ludovici Franciæ regis refertur de Arsacida Assassinorum

rege, qui diris invidiæ stimulis concitatus, misit in Franciam legatos, quovis ausu temerario præditos, qui regem optimum quocumque modo occiderent. Verum paulo post animi pœnitentia ductus, alios summa festinatione destinavit, qui Ludovicum regem admonerent, ut a prioribus legatis diligenter sibi caveret. Itaque illi prudenter intercepti una cum posterioribus domum incolumes et cum muneribus a Ludovico remissi sunt, Lipel. in vita Sancti Ludovici, 25. augusti. Quis talem et tam subitam in melius commutationem expectasse a rege barbaro? Nihilominus stupendum, quod in vita Sancti Antonii de Padua habetur de notario quodam lubrico, carni et mundo dedito, quem Sanctus Antonius quoties transibat, genu flexo et nudato capite salutabat velut martyrem. Quod cum is pro derisu duceret, et indigne ferret, tandem rei eventu comprobatum est, quando Jerusalem profectus coram Saracenis Christum ingenti zelo prædicare non extimuit, ideoque a Saracenis variis suppliciis exercuciatus pro Christo martyr occubuit, Surius, 13. junii. Alia his similia exempla innumera passim invenire est; propter quæ psalmista Ecclesiam ad laudes Deo canendas hunc in modum invitat, Ps. CXLVII. *Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit, mittit crystallum suam sicut buccellas.* Nivem dat quasi lanam, quando frigidissimi peccatores ejus gratia aspirante, induunt lanam ovium, ut et alios calefaciant. Unde S. Augustinus in eum locum: *Quid est, inquit, ex nive vestem laneam efficere, quam de istis adhuc incredulis et frigidis spiritu vestem charitatis et pœnitentiæ aliis efficere? Nebulam, quæ peccati typus est, dat in cinerem, quando ipsis reproborum peccatis impinguat, (id enim cinis præstat melius, quam fœmus jumentorum) teste Plinio, lib. XVII. c. IX. agrum Ecclesiæ, ita ut per illorum resipiscentiam alii ad frugem perducantur, verbi gratia, per Paulum, factum ex persecutore prædicatorem. Crystallum sicut buccellas, quando eosdem peccatores multo annorum spatio induratos convertit in frusta panis, ad pascendos alios fideles, ut idem Augustinus exemplo Pauli explicat. Quid ergo mandavit aliquando David ducibus suis cum Absalone præliaturis: *Servate mihi puerum Absalon, II. Regum XVIII.* quasi expectans ab eo, pro nunc puerili et insipiente, aliquando meliorem mentem ac resipiscentiam: id videtur mandasse in hodierno evangelio cœlestis patrum familias angelis suis, cum dixit: *Sinite utraque crescere; forsan resipiscent, ubi ad majorem ætatem venerint, vel mente se collegerint. Cujus**

resipiscentiæ egregium exemplum describitur in vita beati Danielis Stylitæ, de quodam viro, nomine Gelasio, qui Danielem e columna, in qua stationem continuam fuerat aggressus, exturbare conatus est, quod illius loci dominus esset. Sed Christum famulum suum protegente, cum mira esset cœli serenitas, repentina imbrum ac grandinis exorta tempestas, hominem quidem non nihil exterruit, sed amentis stultitiam nequam extinxit. Itaque columnæ jam propinquo factus, Danielem inclamans mandavit, ut festinus descenderet. Cumque admotis scalis, vir sanctus pedes tumidos et ulceribus atque vulneribus præ diurna nocturna que statione plenos proferret, Gelasius eo spectaculo misericordia motus, temerarii sui facti veniam petiit, et in ea columna manendi non solum potestatem fecit, sed aliam quoque excelsiorem, firmioremque suis sumptibus viro sancto struxit.

III. Quia zizania illa si non prosunt sibi, prosunt tamen sæpe bonis, dum in patientia eos exercent, et ita ad coronas provehunt. Si enim nullus esset persecutor, nullus esset martyr: si non esset vexatio, non esset patientia. Zizania terræ succum dum ad se trahunt, nocent tritico: impii etiam terrena bona attrahere ad se laborant et diis auferre; sed per hoc illis prosunt magis, dum a terræ sarcinis expeditos promovent ad cœlestia. Effigiem horum expressit Esau, qui a fratre quidem extorsit lentis edulium, sed in bonum fratris, et malum suum. Quid enim ipsi lentes nisi somnia horribilia (ea enim causare solent) h. e. cordis tristitiam et melancholiam poterant conferre? At primogenitura tulit Jacobo patris benedictionem. Sic Josepho profuere fratres, ut princeps in Ægypto fieret: dum eum illuc vendiderunt, ne ipsorum dominus fieret: hoc ipso enim effecerunt, quod impedire studuerunt. Sic et Judæi Christi gloriam amplificaverunt, dum per infamem crucem obscurare voverunt. Ex eodem zizaniorum genere fuit non postremus, apostata Julianus, qui in decreto suo, quo Christianorum bona fisco suo adjudicavit, etiam causam illam inseruit, quod Christiani ex præscripto evangelii sui nequaquam affluere divitiis, sed eas potius petentibus erogare, et perfectionis adipiscendæ gratia relinquere deberent, uti refertur in vita SS. Joannis et Pauli, apud Sur. 26. junii. Profuit hoc lolium Joanni et Paulo aliisque innumeris, qui detractis sibi opibus ad martyrium aptati et animati fuere. Ad hæc dum persequuntur, et vexant bonos mali, in timore Domini et pietate magis eos conservant, non secus ac gloma seu folliculus grani triticei servat id a morsibus et rapiis